



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 55. Odo Episcopus Ostiensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

cum retrahit, meque mihi relinquit, per-
 turbor, & gemens ad Salvatorem meum
 exclamo: si tanta Moyfi aut Petro impo-
 neres, credo fore, ut laboris mole obrue-
 rentur. (*)

§. LV.

Odo Episcopus Ostiensis.

Sub idem tempus Papa ab Hugone Ab-
 bate petiit aliquot monachos, viros
 strenuos, sibi mitti, quorum opera in re-
 gimine Ecclesiæ uteretur. Misit Hugo
 Odonem Monasterii Cluniacensis Prio-
 rem, & Petrum, postea Abbatem Caven-
 sem prope Salernum. Odo, Eudes, seu
 Otto (idem enim est nomen) Dynastæ
 de Lageri prope Castellionem ad Matro-
 nam annem filius, natus circa annum
 millesimum quadragesimum secundum,
 & Remis educatus erat, ubi sub S. Bru-
 none, tunc illius Ecclesiæ Cancellario,
 literarum elementis imbutus est, exinde
 etiam Canonicis adscriptus. Quia ve-
 ro in eodem Capitulo Regula exacte ser-
 vabatur, non nulli scripserunt, ipsum Or-
 dinis Canonicorum Regularium fuisse.
 Anno millesimo septuagesimo Archidia-
 cono munere Remis fungebatur, sed pau-
 lo post mundum relinquere statuit, ut
 con-

Orderic.
 lib. IV. an.
 1073. Hist.
 S. Mart.
 Tornas. to.
 12. Spicil.
 p. 464.

(*) Magna sane animi Sanctitas & candor ex
 hac S. Gregorii epistola elucet.

Sæculum XI. conjectura est, S. Brunonis hortatu per-
A.C. 1078. motus, & Cluniacum se recepit, ubi eo-
 dem Petro Magistro usus est, quocum
 deinde profectioem Romanam iussus
 suscepit. S. Hugo cognoscens quam
 egregiis dotibus Odo clareret, Monaste-
 rii Priorem esse voluit, brevi post ejus
 conversionem tempore, videlicet anno
 millesimo septuagesimo sexto, eique post
 biennium Romam vocato Gregorius VII.
 Episcopatum Ostiensem contulit, ut vi-
 rum idoneum opponeret cuidam Schis-
 matico, nomine Joanni, cui illam Eccle-
 siam Henricus Imperator dederat, de-
 functo Geraldo, viro susceptis Legatio-
 nibus clarissimo. Tunc vero Papa Odo-
 nem arcanorum omnium conscium ha-
 buit, quem per spatium annorum qua-
 tuor a latere nunquam dimisit.

Bertold. an.
 1077.

§. LVI.

Res Ecclesiæ Dolensis in Britannia.

Gregorius Papa Legato suo Hugoni
 Diensi commiserat iudicium litis
 exortæ inter *Euen* seu Ivonem, Episco-
 pum Dolensem in Britannia, & Joho-
 neum ejus Antecessorem, qui hanc Se-
 dem Simonix auxilio occupaverat, nam
 cunctis scientibus & videntibus Alano
 Comiti dona ingentis pretii tradiderat.
 Tum Episcopatum consecutus, nuptiis
 publice celebratis, ex pellice numerosam
 pro-

Act. ap.
Marten. p.
 57.